



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XVII. Avgvsti. S. Carolomannvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S CAROLOMANNVS primùm Franciæ Rex, deinde pro amore Dei regnum Franciæ reliquit, ac Romam ad Zachariam Pontificem, cum honestissimo Francorum comitatu concessit, multaq; eximia dona beato Petro Apostolo contulit. Et à dicto sancto Pontifice clericatus jugum suscepit. Et mox in monte Soracte monasterium sibi condidit, idq; sancto Siluestro dicauit, quod ibi latuisse sanctus Pontifex miserrimis suis temporibus, diceretur. Offendit autem *Carolomannum* eo loci assidua Francorum prætereuntium, & ad se, tanquam ad Dominum aduentium, turba: quodq; propter contemptum regni terreni laudibus extolleretur. Vnde cum fido socio se Casinum recepit, ac rigida se S. Benedicti disciplina devinxit. Cui in eodem proposito sese adiunxit Rachis rex Longobardorum. Accidit aliquando vt CAROLOMANNVS hebdomadarius, ad coquinæ officium deputaretur, cumq; in multis ignoranter offenderet, coquus vino exastuans, ter ei alapam dedit. Quæ ille placido vultu pertulit. Sed ab indiuiduo comite indignante, dignitas eius prodita est, & deinceps cum magna reuerentia est obseruatus. Quamquam autem mundum reliquisset, inuitus tamen profectus est ad fratrem suum Pipinum, ad dissuadendum expeditionem belli Longobardici. Neq; enim ipsa abbatis sui iussa detrectare, neq; abbas aut Rachis monachi preces repudiare, aut Aistulphi fratris eius, regis, imperium ausus est recusare. Hic, relatione de bello facta, summo studio causam Longobardi, sed iniquis omnium auribus, egit, ac non multo post in Viennensi monasterio diem clausit extremum. Cuius corpus iussu regis ad monasterium S. Benedicti, in quo monasticum habitum susceperat, relatum. Addit Volaterranus lib. 2. eum in Casino iussu regis loci pauisse: ea propter iure inter beatos annumerari. *Ex Mol, natal. SS. Belgj.*



S. CAROLOMANNVS AVSTRASIE REX ORD^{s ben}
 Monachus primum Moelis Soractis deinde
 Casini tanta in S. Benedicti disciplina
 fuit observantiaque Abbatis eius gregis
 Eius loci pasceret. obiit Anno. DCCCLV XVII Aug

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Benedictus" and the Roman numeral "III".

RO.